

www.e-rara.ch

Theses de epilepsia

Maier, Michael

Basileae, 1596

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-8040>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

THESES
DE EPILEPSIA,

Quas

DIVINA PRAESIDE GRATIA,
Ex Amplissimi & Celeberrimi
in Academia Basiliensi τῶν ἱα-
τρῶν παιδῶν Senatus
consulto,

Pro
More & amore
Doctoralis consequendæ Laureæ,

PUBLICÆ
*Hygiæ Initiatis ac Mystis ibidem Asclepia-
deo verè rationis examine pon-
derandas offert*

M. MICHAEL MEIERVS
CHILON. HOLSATVS.

Ad 27. Octobr. horâ & loco solitis.

BASILEÆ,
Typis CONRADI WALDKIRCHII.
CLO IO XCVI.

Catalog



CLARISSIMO ET OPTIMO VIRO
DN. D. MATTHIAE CARNARIO, ILLV-
strissimi Principis Holsatiae Archiatro dignissimo, amico,
quâ animo, quâ studio, quâ patriâ, meo, ter
conjunctissimo S. D.



Vot animi tui dotes, vir amicissime, tot mei in te amoris illi-
ces existunt: At harum ex innumero numero tergeminas nu-
mero; Inprimis illam politioris literaturæ Eruditionē tuam,
ut raram, sic mihi caram, mistamq; ex severitate ac comitate
temperiem, genuinā ejus sobolem: Quid dicam de plus quā
niveo candore pectoris? quem sincerum & verum (loquor ut mens est)
in te jam pridem suspicio: Nec enim excidisse potuit, quæ tua in me pie-
tas, quæ virtus extitit, dum Latio pedem inferre primum jussit animus;
cum non solum in rei medicæ studio, tanquam stadio, currentem ad cal-
cem incitaveris, sed & varijs de rebus ad Aesculapium meum spectanti-
bus affectu (ne dicam serè sed) verè patrio præmonueris: Pro quâ retibi
ut reportem gratiam sæpiculè Charis aurem vellicat; at occasione, haud
voluntatem, mihi defuisse hætenus existimes: Medicam enim rem me-
dico acutissimo dignam dicare volui, sed non inveni. Iam verò, ex nutu
Amplissimi hujus Collegij, ejus morbi velitationem suscepī, qui & ob-
securus cognitu & difficilis curatu esset, multosq; dubitationum nodos
comprehenderet; non, quod hinc Erasistrati aut Oedipi alicujus laudem
aucupari me posse arbitrer, sed, cum nullibi non locorum frequens me-
dicæ manus postulet, ut in eo, tanquam Progymnasmate, exercitem me
amplius. Apellem ajunt vulgi mentem variam de pictis suis tabulis, sub
quibus sese abdidisset, explorare solitum: At nos in aprico id agere ad-
decet; non tamē ubivis, in agyrtarum circulis aut amicularum trivijs; sed
in confessu virorum, quos doctrinâ Phœbus, virtute Pallas, insignes esse
voluit; inter quos cum & tu maximè, vir Clarissime, numerandus mihi
venias, non minimum id adijcit causis prioribus cumulum, cur hanc di-
sputationem, licet inauguralem, meam, tamen vix sat propitiâ Lucinā nā-
tā, tuo dicarim nomini; amicè rogans, ut pro tuo in me amore, quem
patriæ communitas adaugēt uberiùs, & studiorum æqualitas confirmat
arctiùs, eandem tuæ Censoriæ virgulæ subijcere, ac obeliscis, ubi opus,
Aristarchicis transfigere, meque (ceu hætenus) amare digneris. Vale,
Basileæ Rauricorum, Anno 1596. decimo sexto Octobris.

Tuus, ut tu meus,
Michael Meierus Chilon: M. P.



THESIS I. PATHOLOGICA.

V Illa functiones anime, quæ propriè sunt in cerebro, omnium sunt nobilissimæ, sic si earundem depravatio aut diminutio aut abolitio ex morbo quopiam contingat, maximè homines abijcere & terrere solet.

2.

Id, quod patet tum ex alijs, tum præcipuè Cataractâ Epilepticâ (in præsentia à nobis pertractandâ) cujus horrendam atrocitatem in corpore humano non à causâ quâdam interiore produci, sed à Divis immediatè immitti, multâ tam a veterum, quàm b recentiorum arbitrati sunt.

a Hipp. l. de Mor. fa. Aretæ. l. i. af. di. c. 4. b Lénus de occ. na.

3.

Inde factum est, ut tot nomina apud Authores invenerit, dum Græcis a *Ἡπληψία*, *ἱερὸν νόσημα*, *ἐλεφαντίασις*; Latinis b morbus Comitialis, Herculeus, Lunaticus, infantilis, puerilis, fonticus, insputatus; c Latinobarbaris caducus, cōvivialis, peditos & mater puerorum indigetatur.

a Trall. l. i. c. 15. b Cell. l. 3. c. 23. c Matt. Gra. in 9. Rhaf. c. 8. Savanoro. tr. 6. rub. 20.

4.

Ἡπληψία δὲ τῆς *Ἡπληψίας* dicitur, a quòd pariter sensum ac mentem apprehendat; *ἱερὸν νόσημα* seu sacer morbus, quòd vel à Divis immittatur, vel magnus sit, vel sacram, hominis partem, id est, animum occupet; *ἐλεφαντίασις* à quibusdam nominatur, quòd illi par contumaciâ vix ullo remedio oppugnetur.

a Trall. ib. Altimar. c. 18.

5.

Comitialis morbus a appellatur à Romanorum comitijs,

vel quòd illa, si inibi contingeret, tanquam infausto omine statim solveretur, vel quòd primum hîc vulgo innotuerit; Hercules, b vel quòd Hercules eo laborarit, vel quòd fortis sit; Lunaticus, vel quòd silente aut plenâ Lunâ sepius accadat, vel quòd interlunio nati sint illi maximè obnoxij; c Infantilis & puerilis, quòd illi etati præ reliquis infestus sit; fonticum Plinius, id est noxium & gravem, in putatû Plautus dixit, quòd veteres ad nomen ejus, ne noceret, expuerint.

a Altima. ib. b Gal. 6. de morb. vul. c Hipp. l. de aëre.

6.

Caducus a vocitatur, quòd ægri in ejus accessione cadât; convivialis, quòd in cõvivjs propter strepitum & saltum manifestetur; Peditos, quòd ægri jacentes pedes hinc inde movent; Mater puerorum, cum in pueris frequens & fortis est, per antiphrasin nuncupatur, quòd, ut mater procreat, ita hæc occidat pueros.

a Matth. Gra. ib. Savan. ib.

7.

Est autè Epilepsia cerebri a universarumq; corporis partium convulsio, ex temporum intervallis cum mentis & sensuum læsione ægrum adfligens.

a Gal. de lo. aff. l. 3. c. 3. & 2. de sympt. cau. Ægin. l. 3. c. 13.

8.

Atq; hæc secundum geminum magis vel minùs adfligendi modum a duplex statuitur, notha & absoluta.

a Fernel. Path. l. 5. c. 3.

9.

Notha, a quæ symptomatis levior vertigini finitima est.

a Fernel. ibid.

10.

Absoluta, a quæ symptomatis gravior apoplexia cognata est.

Fernel. ibid.

11.

Convulsio dicitur, quia nunquam sine involuntariâ ner-

vorum

vorum musculorumq; suam originem versùs contractione fieri visa est; sive ea levior, sive fortior sit.

12.

Cumq; convulsio duplex animadvertatur, alia in fieri, quæ est motus depravatus; alia jam facta, quæ est motus abolitus; potius ad illam, quàm ad hanc referri Epilepsia debet.

13.

Movent enim faciem, oculos, manus & pedes Epileptici, licet inordinariè & absq; voluntatis imperio.

14.

Differt verò à convulsione corporis primariâ, a Emprostotono, Opisthotono & tetano, primò tempore & modo adfligendi; quòd illa diutius & continuè permaneat, hæc sponte quoq; desinat ac per vices redeat.

a Gal. l. 3. de lo. af. c. 3. Altim. ib.

15.

Deinde causâ; Illa a etiam ab inanitione contingit, b hæc nequaquam.

a Hipp. 6. Aph. 39. Gal. ib. b Avicen. l. 3. Fen. I. tr. 5. c. 3.

16.

Tertiò, loco; Illa membrorum & corporis, a in spina medulla; hæc cerebri propria b in vètriculis ejus causam habet.

a Gal. l. 3. de lo. af. c. 3. b Gal. ib. Avicen. l. 3. Fen. I. tr. 5. c. 3.

17.

Quartò, symptomatis; a In hac præter motum, sensuum ac mentis actio; in illâ solus motus leditur.

a Gal. 3. de lo. aff. c. 7. & de diff. symp.

18.

Ab alijs verò convulsionũ speciebus e. g. torturâ oris, cervicis, cruris, manus, facile ex ipsa definitione discernitur, quia hæc est universalium corporis partium; illa non item.

19.

Ex quibus constat, Epilepsiam a symptoma esse functionum animalium, partim abolitarum, ut principum & sen-

fiurvarum, b partim depravatarum, ut morricum.

a Gall. l. de diff. symp. c. 3. Altim. ib. b Gal. 3. de lo. af. c. 7.

20.

Cause sunt vel interne vel externe.

21.

Interne, vel proxima vel remotiores.

22.

Proxima, a Materialis, Efficiens, Formalis.

a Actuar. l. i. c. 16.

23.

Materialis: Humor a crassus & lentus, pituitosus, b melancholicus c aut sanguis, vel vapor copiosus ac venenatus, repente d in cerebri ventriculos illabens, ac animalis spiritui in sensuum organa influenti vias angustiores reddens.

a Galen. de lo. af. l. 4. c. 2. 3. l. 3. de lo. af. c. 3. & 2. de sympt. cau. b Paulus l. 3. c. 13. c Galen. & Rhaf. c. 8. d Galen. l. 3. de lo. af. c. 3. Actuar. l. i. c. 16.

24.

Efficiens vel est principale, vel instrumentale.

25.

Principale: Facultas animalis lesa ratione organi duplicis (tum nervorum principij, tum spiritus animalis) quod illa ad motum incitat.

26.

Est enim Expultrix cerebri vis immediatè primùm diminuta sit, tamen cum totius organi, id est, cerebri, a functiones animales hinc prohibeantur, animalis quoque, facultas ladi rectè dicitur.

a Gal. 3. de lo. af. c. 7.

27.

Instrumentale vel est continens, vel contentum.

28.

Continens: Hinc ipsum a nervorum principium à materia sibi noxiâ irritatum, facultate incitante, maximo, quo potest,

potest, impetu eandem deturbandi gratiâ se concutit.

a Gal. 3. de lo. af. c. 3. 5. Avicen. ib.

29.

Contentum: Idg, efficit operâ spirituum animalium, qui insuper non minus, tam à rei noxiâ copiâ vel malignitate, quàm loci angustia coacti, libertatē sibi vindicare satagunt.

30.

Formalis: Vnde a in eâ luctâ convulsio cerebri & membrorum, mentis & sensuum lesio, b subitus corporis casus, stertor faucium & spuma oris necessario subsequitur.

a Actuar. l. 1. c. 16. b Raf. c. 8. cell. 1. 3. c. 23.

31.

Convulsio quidem fit ratione a expulsionis, quæ non perficitur nisi cōtractione & expressione cerebri, cuius motu participant quoq, nervi.

a Avicen. ibid.

32.

Contrahuntur autē nervi duobus modis; primò a quia, humore vel vapore oscula ipsorum præpediente, secundum latitudinem augentur: at quantum in latitudine acquirunt, tantum in longitudine amittunt.

a Avicen. ibid.

33.

Deinde ratione qualitatis stimulatricis: stimulat autem cerebri substantia propè nervorum originem, aut ab acrimonia humoris, ut pituitæ salsæ vel acide, aut aliâ qualitate noxiâ, seu malignâ seu venenatâ.

34.

Cum enim expultrix vis jam antè labefactata ad tantæ materie expulsionem non sufficiat, natura, quo modo potest, id supplere nititur, animali scilicet impete in subsidium vocato.

35.

Organa sensuum obleduntur tam in motu, quàmensione; partim à primariâ, partim per consensum, causâ.

36.

A primariâ, omnes capitis partes, e.g. oculi, lingua, maxilla, motu; corpus verò totum sensu læditur, principio videlicet eorum nocumentum patiente.

37.

Per consensum; a partes sub capite omnes in motu depravantur, quia nervi motui inserviētes spinali medulla, atq; hæc ipsi cerebro, ratione originis, compatiuntur. b

a Gal. l. 3. de lo. af. c. 3. b Excel. D. Casp. Bauhin. in anat.

38.

Memoria verò, a imaginatio & intellectus nihil operantur, utpote ipsâ animâ, respectu facultatis ac instrumentorum, in rei noxiæ expulsiōe occupatâ.

a Gal. l. de dif. sym. c. 3. & 3. de lo. af. c. 7.

39.

Subitus corporis casus fit, spiritibus motivis ex musculis & nervis ad principium suum per symploceas regurgitantibus: si enim ijs membra destituantur, subito, ut inanima, concidunt.

40.

Stertor a faucium contingit, quòd aër in angusta aspera arteria loca, in crasso humore, q̄ delabatur, referta impingat.

a Val. in obser.

41.

Spuma a oris subsequitur, quòd materia à spiritu sapius exagitata tandem ex ventriculo b cerebri medio per infundibulum in os descendat.

a Actuar. ib. Valer. ib. Altimar. ib. b Clar. D. Caf. Bauhin. Anat. l. 3. c. 11.

42.

Causa remotiores vel sunt propria, vel communes.

43.

Propria sunt vel in cerebro ipso, vel in ventriculo, vel partibus remotioribus.

44.

In cerebro, est facultatis concoctricis & expultricis imbecillitas;

cillitas; Unde excrementorum copia producitur & accumulatur.

45.

Producuntur excrementa copiosiora, dum non, quemadmodum fieri debet, concoquuntur: cruda enim lentorem & partium inequalitatem servant.

46.

Accumulantur, dum non per vias à naturâ ad id ordinatas, ut nares, palatum, aures, oculorum angulos, suturas & poros capitis, expelluntur.

47.

Generatur enim quotidie in cerebro, partim ex tertiâ concoctione, partim ex vaporosis somni fomentis.

48.

Hæc autem imbecillitas contingit vel ex cerebri intemperie, vel malâ a compositione, vel unitatis solutione.

a Fernel. Path. l. 5. c. 3.

49.

Intemperies vel est à nativitate, vel post acquisita, a humida, sæpius frigiditati, quàm calori juncta.

a Aretæ. l. 1. de af. dif. c. 4.

50.

À nativitate pueris accidit, si ipsi parentes, vel alteruter, hoc morbo laboret, aut si cōceptio interlunij vel menstruorum tempore contingat.

51.

Huc accedit, si mulier prægnans esui fructuum horariorum, ut cerasorum, persicorum, prunorum, ac ejusmodi similibus indulgeat; aut aliâs temperamentum frigidum & humidum naturâ habeat.

52.

Hinc quocunque modo in infantibus humidior intemperies producta fuerit, Epilepticos insultus vix unquam evaserint.

53.

Si enim frigiditas cerebri vel totius corporis illi intemperiei comes sit, humores hinc condensati facile obstructions diētas insinuant.

54.

Sin verò calor eidem adjunctus sit abundantior, humiditates commovendo non dissimilem effectum proferet.

55.

Pòst acquiritur plethorâ vel cacochymia.

56.

Mala a compositio vel est à naturâ, ut in hydrocephalis, & id genus alijs; vel ab humore provenit, ut abscessus.

a Fernel. ibid.

57.

Vnitatis a solutio est corrupta interdum menyngis portio calvaria adherens.

a Fernel. ibid.

58.

In ventriculo, aut etiam hypochondrijs, a vel est impuritas humorum ibi congestorum; aut vermes.

a Avicen. ibid.

59.

Per hypochondria hîc velepar, vel lien, vel mesenterium, vel intestina denotantur.

60.

Impuritas verò humorû cerebro noxam infert vel ratione partis transmissæ, vel vaporum inde adscendentium.

61.

Transmittuntur humores per venas & arterias, qui maligna materia morbum inducunt.

62.

Vapores adscendunt tum per eosdem ductus, tum per œsophagum, aperto ventriculi orificio, qui partim copiâ, partim pravâ qualitate nocent.

Vermes

63.

Vermes itidem vel morsu ventriculi ejusq; orificij, vel venenato de se halitu sparso cerebrum adficiunt.

64.

Morsu; ratione exacti sensus, doloris ac dissoluti continui, quod in nervoso genere spasmus infert, per communicationem scilicet nervi sexti conjugij, in orificium ventriculi protensi.

65.

Venenato halitu; a ratione putredinis & maligne qualitatis, quam dum averfatur cerebrum, ut expellat, cōvellitur.

a Rondel.c.2.de Epil.

66.

In partibus a remotioribus; ut crure, brachio, digitis manuum aut pedum, utero, &c. vel est putrefactio, vel mortificatio, vel veneni impressio; Ex quibus omnibus aura malefica mediantibus nervis cerebro communicatur.

a Gal.3.de lo.af.c.7.Avicen.ib. Ægin.ib.

67.

Putrefactio contingit vel ex ulcere partis male tractato, vel a seminis, mensiū aut secundina retentione ac corruptione.

a Gal.1.6.de lo.af.c.5.

68.

Mortificatio seu sphacelus a magna inflammationi ac gangrena succedit.

a Actuarius.met.1.2.c.12.

69.

Veneni impressio fit vel externo modo, vel interno; Externo, ut punctus a scorpij, Phalangij, &c. Interno, ut ejusdem generatio in membris.

a Gal.de lo.af.1.6.c.5.Altim.ib.

70.

Adficitur autem hic cerebrum a non tam quantitate, quam qualitate aut manifestā, aut occultā.

a Avicen. ibid.

71.

Manifesta est, qua mordicatione suâ irriter.

72.

Occulta est, quæ venenositate suâ noceat.

73.

Causa cõmunis, utpote a cõvulsionibus reliquis, est reple-
a Hipp. 6. Aph. 39. (tio.

74.

CAVSÆ Externæ, vel interiorum sunt genitrices, vel
auctrices, vel motrices.

75.

Genitrices sunt, cibi frigidi & humidi, pituitosi ac melan-
cholici, ut vinum fæculentum, lentes, fabæ, frequens usus o-
lerum, lactuca, brassicarum, beta, raparum, lactis vel deprava-
tio, vel crebrior mutatio in infantibus: venena assumpta, con-
suetarum excretionũ suppressio, casus ex alto, unde vel cere-
bri abscessus vel menyngum ruptio, vel spirituum animalium
vehemens perturbatio contingat.

76.

Auctrices: Cõuersatio diutina in aëre humido & frigido
capite aperto, radij lunares, venti meridionales, pluviosa tem-
pestates, situs, exercitij intermissio, vel à repletionemotio; coi-
tus, somnus immodicus, diurnus & mox ab assumptis cibis.

77.

Motrices: Esus vel odor a jecoris hircini cocti, apij, suf-
fusus ex bitumine aut gagate lapide, galbano, myrrha, cornu,
ungulâ vel corio capræ, & similes fætidæ odores.

a Trall. l. 1. c. 15. Ægin. ib.

78.

His corporis & animi motus validiores annumerantur;
Corporis, ut agitatio immodica, saltus, sonitus horrendi bom-
bardarum, tubarum, tympanorum; Inspectio rerum celeriter
motarum, & ex loco alto & declivi, insolatio diuturnior, ine-
dia stomacho debili, percussio capitis: Animi, ut ira, timor repē-
tinus, tristitia.

Ex.

Ex prædictis autem causis a tres omnino Epilepsie species resultant; una per cerebri ἰδιονόθειαν, quæ essentialis dicitur; dua per συναπόθειαν; quarum altera ex ventriculi, altera ex partium extremarum consensu cum cerebro proficiscitur.

a Gal. de lo. af. l. 3. c. 5. Trall. lib. Actuar. l. 1. c. 16.

Essentialis est, in qua cerebrū ipsum causas interiores tam remotas, quàm proximas habet.

Per consensum ventriculi, est in qua causa interna remotiores propria à ventriculo vel hypochondrijs dependent.

Per consensum partium est, quæ causas easdem in quâdam partium cæterarum fundatas habet.

Subiectum verò specierum Epilepsia omnium a est cerebrum, & primario anteriores b licet & reliqui, ejus ventriculi.

a Gal. de lo. af. l. 3. c. 5. Avic. ib. b Gal. de lo. af. l. 4. c. 2.

Intelligendum tamen, a non ipsam cerebri substantiam hic adfici, sed præcipuè in cavitatibus parietes, in quibus sunt nervorum principia seu meatus, per quos spiritus animalis ad sensuum organa movetur.

a Gal. 2. de cau. symp. c. 1. & 3. de lo. af. c. 7.

Ex hisce præsuppositis facile patet, quomodo Epilepsia à cognatis sibi morbis, ut vertigine, sternutatione frequenti, stulticiâ, oblivione, caro, apoplexia, paralyfi & similibus ratione tum causarum, tum subiecti, præter singulorum pathognomonica signa, distingui debeat.

Si enim frigidus, a lentus & crassus humor, copiosius, cum

acredine, cerebri substantiam & ventriculos obstruat, spirituumq; vim exuperet, fit apoplexia & hinc paralyfis: si abscque acrimonia eosdem ventriculos occupet, fit b carus & somnus diuturnior; si cerebri substantia, stulticia; si posteriore ventriculum, obliuio; si spina c medulla, paralyfis insignior.

a Gal. de lo. af. l. 4. c. 2. l. 1. de symp. cau. Augenius l. 4. de san. mis. c. 15. b Gal. lib. c 1. de fym. cau.

87.

Quod si idem humor non ita copiosus, at acris, in cerebri ventriculos se insinuauerit, Epilepsia fortior insurgit; si in spina medullam, spasmus; at si acredinis expers sit, ibidem paralyfis leuior contingit.

88.

Vapor verò ex inferioribus partibus ad cerebrum tendens, frigidus, copiosus & acris, in cerebri plexu choroide, vertiginem; In ventriculis, Epilepsiam leuiorem; at si sine acrimonia fuerit, ibidem Incubum producit: Econtrà si non copiosus aliquid acrimonia habeat, a frequentia sternutamenta ciet.

a Gal. 2. de fym. cau. Rond. c. 2. de Epil.

89.

SEMEIOTICA.

SIGNA Epilepsie sunt duplicia: Διαγνωτικὰ καὶ προγνω-

90.

(σημὰ.

Diagnostica vel sunt mali imminentiis prænuncia, vel præsens indicativa.

91.

Prænuncia: Corporis totius quedam immobilitas, convulsiones colli, dorfi, Ephialtes ejusq; symptomata, a frequentes vertigines, pallor faciei, sonitus aurium, imagines ob oculos versantes, pudendorum tentigines, nocturna pollutiones.

a Oribasius l. 8. c. 2. Ægin. l. 3. c. 13. 15.

92.

Indicativa vel sunt propria vel communia.

93.

(plicia.

Propria, ut mali ipsi, eaq; p causas & specierum ratione tri-

Acapi:

94.

A capite fieri existimetur, si ejus adsit a gravitas & dolor, praesertim permoto ad iram homine, mentis error, sensuum stupor, vertigo, tenebra oculis objecta, horreda insomnia, vultus pallor, lingua immoderatio & inter loquendum commotio, difficilis respiratio; In ventre flatus, urina tenuis & cruda, torpor corporis.

a Aretæ. l. 1. de mor. ac. c. 5. Trall. ib. Ægin. l. 3. c. 13.

95.

A ventriculo vitium oritur, si sentiatur ejus a morsus, magisq; per inediam, palpitatio ac fluctuatio: paulò ante accessionem nausea, stomachi dolor, animi defectio ingruunt: post eandem vomitus pituita & aurium sibilus frequens est.

a Trall. ibid. Ægin. ibid.

96.

A parte corporis extremâ a malum fieri sentitur manifestissimè, nimirum ante accessionem aurâ frigidiore per continuatas partes ex certo quodâ membro in cerebrum repente.

a Trallian. ibid.

97.

Communia, ut paroxysmi; a Homo subito convulsus concidit, stertit, spumat, pedes jactat: Interdum excretiones alvi, vesicae & seminis contingunt: Quibus hic morbus acutissimus est, eos crebris accessionibus & symptomatum magnitudine brevi jugulat; b quibus verò mitior, y circumagi & tremere membris videntur omnibus, interpositoq; non longo tempore ad sese redeunt.

a Aretæ. ib. Ægin. ib. Altim. ib. b Cels. l. 3. c. 23.

98.

PROGNOSTICA: Hoc malum, quomodoq; fiat, a magis familiare est viris, q; feminis, magis pueris ac praecipue nup in lucem editis, quàm adultioribus, minimeq; omnium senibus.

a Hipp. 4. Epid. Avicen. ib. Ægin. Celsus ib.

99.

Pueris post a pubertatem, puellis post orta menstrua solvi

solet; b quod si vigesimum quintum superarit annum, ager-
rimè aut nunquam curatur.

a Celsib. b Hip. 2. Apho. 45. Avicen. Egin. ib. Scribon. c. 2.

100.

Quando a cum atatis flore evanescit, deformes quosdam
efficit; pueros quoque pulchritudinis invidiâ perdit, aut ma-
num inutilem reddens, aut faciem torquens, aut sensum ali-
quem prorsus auferens.

a Aretæ. l. 1. Chro. mor. c. 4.

101.

Si fœmine a pregnantis morbus accessit comitialis, eum
facto partu solvi, & si quid inde vitij fœtus traxerit, id cõque-
scere, donec editus sit in lucē, ubi tum protinus multū aquosi
excrementi velemomuerit, vel per alvum ejecerit, morbum
tollit; sin minus, manere, experienciâ animadversum dicitur.

a Andernacus dial. 8. Pifo l. 1. c. 19. Sava. tr. 6. rub. 20. Avic. ib.

102.

Alphos albus in infantium, aut a crustosa scabies in pue-
rorum capitibus orta, spem curationis aliquam facit, maxime
si morbus recens & ex vita intemperantia originē trahat.

a Avicen. ibid.

103.

In Epilepsia si mens lesa est, aut nervorum facta resolutio,
medicina locus non est.

104.

Si morbo comitali longa a febris ac precipuè quartana
supervenerit, pro valetudine est.

a Hip. 5. Aph. 70. 3. 1. Epid. 4.

105.

Postquam conciderit a ager, admoveo ei thymum, & si
apprehendat, curabilis est; sin minus, non. pyrethrū quoq; cum
naribus ipsius inspiraveris, siquidem sanabilis sit morbus, ster-
nutabit ager; sin autem curari nequeat, non item.

a Trall. l. 1. c. 15.

Etsi verò

Esti verò a ab Epilepsiâ essentiali, inveteratâ & hereditariâ per paucos medicamentorum ope integrè liberari cōtingat, tum propter mali vehementiam, tum ægri intolerantiâ, aliasq; circumstantias, tamen, nisi prorsus impossibilis curatio fuerit, cū non rarò & desperati evadant, bonam ægri de medico conceptam spem nō omnino frustrari concedendum est.

a Hipp. l. de mor. fa.

Nam liceat causa morbi sepe nūnero fundit⁹ extirpari nequeat, tamē a eādē paulatim ope medicā cōminutâ, morbum & symptomata leviora ac rariora fieri necessum est.

a Gall. l. de att. vict. ra. c. i.

THERAPEVTICE.

CVRATIO, pro diversâ imparium etatum ratione, una eademq; institui non potest; sed alia convenit infantibus, alia pueris, alia adultis; in quibus deinde magna est differentia.

Primò autem de curatione infantium agemus; quorū etas tenera ac corporis habitudo mollior licet medicinam ferè omnem respuat, tamen cum urgente necessitate ipsdem subvenire cogimur, paucissimis, lenissimis ac usu artis comprobatis remedijs utendum erit.

Idcirco si infans propter nimiam cerebri humiditatem Epilepticiſ urgeatur symptomatis, tria præ reliquis, cum doctissimis viris, probaverim: Primò, si recēs editis prabeatur a ol. amygdal. dulc. aut sesaminum, recens extractum, cum saccharo communi aut cando mixtum, ad ʒss. circiter: quidam admiscunt illis viscum quercinum & unicornu.

a Le. Fuc. l. i. c. 29. Nicol. de Nic. Hercules Saxonia: Pisol. l. i. c. 19.

Post somnum hinc subortū, iterum eodem cibo, & quoties

cung, opus est, sic per quatuor dies continuos alatur; quo omnem humorum impuritatem alvo rejiciet.

112.

Secundo, parum oxymellis scyllitici saltem per pennam in os immittatur, ut deglutiat.

113.

Tertio, vicem cauterij (quod esset remedium efficacissimū, Florentinis quidem in usu, sed nostratibus in recens natis vix admittendum) vesicantia in occipite vel post aures posita suppleant, quæ fiunt ex melle anacard. fermento & cantharidibus, abjectis capitibus & alis; vesiculae servantur apertæ folio brassicae.

114.

Si verò vetriculi, aut potius lactis, vitio laboret, id vel ejusdem nimia quantitate, vel pravâ qualitate, vel varietate continget.

115.

Si nimia quantitate, nutrix & rarius & minus illi de lacte praebeat.

116.

Si pravâ qualitate, quamprimū pennâ oleo illitâ & in os insertâ vomitus infanti provocetur, & si fieri potest, lac in nutrice corrigatur, eo modo, tanquam ipsa primariò hoc morbo laboraret, præscriptis remedijs, de quibus mox in adultorū curatione tractabitur: Inprimis probam a. victus rationem observet, à venere abstineat & purgationes menstruas b. nimium moventibus: si id fieri nequeat, alterius mulieris sanioris (qualem Paulus l. 1 c. 2. & Aëtius tetr. 1. ser. 4. c. 4. describunt) lac praebeatur.

a. Rondel. c. 36. b. Trall. l. 1. c. 15.

117.

Dum verò lactat infans, ab alijs cibis abstineat: corrumpitur enim lac eorum mistione: Excrementorum per nares vie obstructæ referentur, alvusq; si non respondeat, lardo vel melle cocto cum grano salis provocetur.

Atq;

Atq; hæc de infantibus; sequitur puerorum ablactatorum curatio, quæ tum alia, tum paulò plura & validiora postulat: Aërem vitet humidum & frigidum; victus sit parcius, potus mulsæ coctæ cum coriandro & rad. pæoniæ, panis siccior, carnes potius assæ quàm elixæ, à lacticijs, lactucâ, fructibus, carnibus porcinis, caprinis abstineat; somnus sit mediocris; nar. in & alvi excretionū habeatur ratio; q̄ si naturâ nō procedant, arte iuvetur; exercitatio sit corporis; ab ira & metu arceatur.

Si cerebrum morbi fomes est, præparetur humor passulis exacinatis, cinamomo, rad. & sem pæoniæ, hyssopo, acoro, inter se mistis & coctis, additâ aquæ & sacchari q. s. cum syrupo stachados.

Purgatiuncula deinde præberi potest; pro ratione ætatis, ex pul. sennæ Montag. vel pul. medicamētū turbit Avicenn. vel mechoacan cū saccharo misto: vividioribus dentur pilule cochiae cum mastichinis: delicatioribus anisum aut passule laxativæ.

Post purgationē utendum melle scyllitico aut oxymelle p. 40. dies. continuos; dosi sit ab ℥ss. ad ℥j. s̄ habitâ ratione ætatis.

Laudatur & radix pæoniæ viridis puero appensa, cui viribus æquale æstimatur leporinū coagulum potui datum: reliqua, quæ videbuntur hîc idonea, ex inferius positis petantur.

Curatio adultorū, tam ratione causarū, id est humorū morbum producentium, quàm locorum, ex quibus originem ducit, variatur: Idcirco & indicationum & remediorum generalis ratio singulis speciebus commodè applicanda venit.

Indicationes statuuntur huiusmodi: Materiam peccantem præparandam & evacuandam, membrum affectum, & inpri-

mis cerebrum, omni revulsionis ac derivationis genere exercendum; Idem quoq; corroborandū & Alexipharmacis præservandum: ultimo symptomata, si qua sint urgentiora, corrigenda & præcavenda esse.

125. DIAETA.

DIAETA, ratione humoris lentī & crassi, sit incidens & attenuans; frigidi & humidi, calida & sicca; flatuum, flatus discutiens: Aër sit calidus & siccus, si non naturā, fiat arte: Cubiculum, in quo moratur ager, alterari potest igne luculento, suffitibus cum caryophyllis, cortice citri, roremarino, sampsocho, salvia, stechade, & alijs id genus: Cavendum tamē ne vaporum multitudo caput repleat ac materiam exagitet.

126.

Cibus minimè sit vaporosus, paucus; quemadmodum & potus: panis sit rectissimè assatus & fermentatus, carnes avium montanarum, assæ potius, quàm elixæ: potus sit mulsa vel decoctum ligni, vel, quibus vinū negari poterit, aquosum, tenue aut dilutum; vel claretum conveniens, nisi aëris intemperies calida, aliudvè quid in corpore reclamet: In ventriculi vitio probatur absynthites; quia recrementa consumit & vetriculum corroborat; Capparis esus mirificè prodest: Exercitia & frictiones conveniunt, sed capiti postremò adhibita; somnus sit cervice superiore, in alterutro latere: alvus correspondeat.

127.

Fugiat autem carnes alias, suillas, bubulas, in primis caprarum grandium, jecoris caprini aut hircini asi esum aut odorem; & eorum animalium, quæ Epilepsiam dicuntur incurere, ut ovium, sciurorum, perdicum, carduelium, passerum, & c. pisces ferè omnes; Si quis tamen delectetur, præsertim æstate, eligat saxatiles & anadromos; testaceos declinet; Item legumina, fructus horarios, olus atrum, lactucam, portulacam, aliasq; herbas frigidas & humidas; apium, allia, cepas, sinapi & ejusmodi evaporantia; gagatis lapidis, bituminis & aliorum valdè humores commoventium suffitum; somnum diurnum & lon-

& longum, iras, coitum nimium, balnea, præter calida & sicca, vel naturalia, ut sulphurea & salsa; vel artificialia, ex hyssopo, pæonia, ruta, &c. facta.

128. PHARMACIA.

Premisso Enemate, quod materias cōmunes educat, in Essentiali, si sanguis abundet & nihil dissuadeat, secetur vena, partim evacuationis, partim revulsionis gratiā, Basilica; aut si hæmorrhoides vel menses suppressi fuerint, ut in partiū consensu, saphæna; qui si statuto tempore fluent, magnum sanitati cumulum adicient.

129.

In ventriculi verò consensu vomitus omnium primò cieatur aqua tepida, oxymelite, sem. atriplicis, anethi, rad. raphani.

130.

Deinde, si frigidus, lentus ac crassus peccat humor, concoquatur decoctis calidis, incidentibus & attenuantibus ex hyssopo, sampsocho, betonica, melissophillo, salvia, primula veris, rad. pæonia, stæchade & similibus partem affectam respicientibus; vel syrupis de hyssop. absynth. stæchad. oxymelite, de cortic. citri, de endivia, si viscerum calor; de borragine, si melancholia adfuerit, &c. additis aquis appropriatis iuxta stæchad. chamæpyt. cichor. fol. pæon. origan. beton. salvia: Fugienda hîc quinq. radices aperientes, quia humores nimium attenuando vapores excitant.

131.

Concoctione peractâ, purgentur humores pituitosi pil. coch. cum aqua hyssop. vel agar. trochis. in infus. addito diaturbit, vel Hiera Hermetis, Ruffi, aut Diacolocynth. quæ in essentiali maximè laudantur: His additur vinum Colocynthidi excavata per noctem infusum.

132.

Melancholicus humor, si quis abundet, purgetur antid. Hamech, diasenâ, pil. Indis, è lap. armen. pul. cort. & rad. elebori nigri.

133.

In consensu verò ventriculi nihil præstantius est Hierâ picrâ Gal. pil. alephang. agar. trochis. cum melle rosa. In partium aliarum, pil. fetid. de sagapen. opopana: locum habent; quibus pulvis rad. pæonia semper adjungendus est.

134.

Purgato corpore, post virium restaurationem, particulares evacuationes instituenda sunt: A cerebro revulsio tentanda frictionibus, ligaturis manuum ac pedum, cucurbitulis sine scarificatione partibus extremis adfixis.

135.

Frictiones à brachijs incipiant, deinde ad pectus, ventrem, ultimò ad pedes tendant: sic enim revelluntur excrementa, que sursum vergunt, ad inferna.

136.

Si à ventriculo, utatur à pastu pulvere vapores ad cerebrum ferri prohibent. Topica quoq. adhibenda præsidia: vel Emplastrum ex mastichino, stomach. &c. vel unguentum ex ol. absynth. nard. mastich. &c.

137.

Si à partibus extremis, præligetur membrum, ne quid inde sursum expiret, donec cauterio inuratur: Quod si uterus consentiat, cruribus adfigantur cucurbitule & menses ciantur potionibus vel pulveribus ad eos idoneis.

138.

Deinde derivationi studendum Errhinnis, sternutatorijs & odoramentis, per nares; apophlegmatismis & gargarismis per palatum; dropacibus, synapismis, cucuphis & vesicantibus, sublati novacula capillis, per capitis cutim ejusq. poros; additis communi eorum materiajs, qua morbo peculiariter adversa sint, nihilq. prætermittatur, quod humores revellere, attenuare & purgare potest.

139.

Post hac cerebro robur addatur interius assumptis, theriacâ ve-

eâ veteri, diamoscho dulci, theriaca diatesseron, &c. Exterius
verò adhibitis, unguento de bdellio, ol. de cucum. asin. de piper.
de lap. gag. philos.

140.

Premiſſis hiſce, ad Alexipharmaca deveniendum: Horum
quedam ſunt in frequēti uſu apud veteres, quedam non: Fre-
quentiora ſunt radix & ſem. pæoniæ, viſcū quercinū, oſſa cra-
nei humani, ungula Alces, coagulum leporinū, vel hædinum.

141.

Rariora ab animalibus petuntur ſequentia: ſpina piſcium
ſiccata & pulverif. calvaria aſini, cornu & oſſiculum cordis
cervi; cerebrum cameli, vulpis; cor leporis; jecur gladiatoris ju-
gulati, muſtele, vulturis; veſica apri cum urinâ ſiccata, uſta &
pulver. fel urſinum; teſticle apri vel verris domeſt. arietis,
crocodyli, galli gallinacei; ungula lyncis, aſini; coagulum cervi;
cinis avis oſephagi, cuculi, muſtele: ſimus pavonis, canis albi oſ-
ſibus nutriti; teſtudo terreſtris & chamaleon in oleo coctus: Ex
alijs ſunt ſmaragdus, jaſpis, corallium, hirundinum lapilli, ebo-
ris ramenta, &c. quæ ſingula vulgò non ſine magnâ ſuperſti-
tione colliguntur & uſurpantur.

142.

A recentioribus verò probata, præter jam dicta, in uſum
admittuntur, ſuccus millefolij & cardui, decocta ſileris mon-
tani, ligni Guajaci, cerebrum & ſanguis muſtele, aqua calli-
trici, pulvis hirundinis, atitis, cum oleo diſcutiente ſutura ad-
hibitus: Theophraſtici præter tincturas tum metallorum, tum
gemmarum, utuntur hîc peculiaribus, ut ſpiritu calchanti;
quintâ eſſentiâ ſanguinis humani, mumie, calvarie; Extra-
cto veratri & ſimilibus.

143.

Ex quibus Alexipharmacis omnibus inter ſe & cum alijs
mixtis, varia medicamenta ad Epilepſiam componi poterunt:
e.g. pulveres, trochiſci, Electuaria, pilule, aquæ alembicata, etc.
quæ pro diverſitate agrorū vario modo uſurpanda veniunt.

144. CHIRURGIA.

Hinc quicquid curationis reliquum Chirurgia sibi vendicat: In essentiali tum cantheria occipiti brachijs ac pedibus; In consensu vteri, cruribus; partium; ipsi affecto loco, tum cucurbitula cum scarificatione adhibeantur.

145.

Quod si verò ipsum cerebrum venenatam qualitatem foveat, vel abscessum vel menyngum corruptionem habeat, ad cranij terebrationē, quæ trepano fit circa coronalem suturam multi perveniendum suadent: Cum verò illi operationi non nihil periculi (teste Galeno l. 6. meth.) adjunctum sit, non nisi multis rerum circumstantijs probè consideratis tentanda medico videbitur.

146.

Porrò paroxysmus, si levior ingruat, removetur aquis odoratis stillat. e. g. lilior. convall. lavendule, &c. ori infusis & narib. adhibitis; succo, odore alij vel ruta: efficacius his castoreū est: si fortior; vomitus aut sternutatio cieatur: frictions, ligature sinapismi, cucurbitula, odora menta valida, ut Galbanū, Sagapenum, &c. administrentur: Omnium efficacissimū est Enema acrius. A paroxysmo partes convulse, ut cervix & spina dorsi, inungantur ol. spica, amygd. dul. & vires absumptæ recreentur aquis corroborativis.

147.

Præservatio sub curatione absolvitur; cujus singulis partibus, pro indicandi ratione in individuo ritè administratis, Deo dante, malum hoc, licet mali moris, futurum præcavebitur, jam factum in Insulam deportabitur.

COROLLARIUM.

E*Pilepsia, ut symptoma, sequitur vel morbum similem in forma substantiali; vel Instrumentalem in viâ; vel ex utroq; compositum.*

Τῷ Θεῷ δόξα.